



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

§. Primvs. Actus Contritionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

124 AMICI FIDELIS
go quereris? nondum vsque ad san-
guinem restitisti.

SS. Chrysoſtomus & Auguſtinus,
aiunt Chriſtum Dominum descende-
re de Cruce noluiſſe, vt nobis de ſe,
constantis patientiæ exemplum lucu-
lentiffimum exhiberet, cuius contem-
platione & nos in cruce noſtra gene-
roſè moreremur, nec alia atque ipſe
via cælum affectaremus.

CAPVT QVARTVM.

*Actus virtutum ab infirmis ante a-
gonem ſæpiùs excitandi.*

§. PRIMVS.

Actus Contritionis.

Bone Ieſu, dolet mihi ex animo,
quod ego te, Dominum meum &
Deum meum, ſuper omnia diligen-
dum, tam grauitè offenderim. Fir-
miter propono, ſperoquè iuuante gra-
tia tua me dehinc ita victurum, vt te
amplius non offendam. Me miſerum!
itane

itane cœcus & amens fui, vt voluptatem hanc N. vt vanitatem hanc N. amori & honori tuo antepōnerem? Parce, ô parce mihi benignissime Iesu, per pretiosum sanguinem, quem pro tam indigno, tam misericorditer profudisti. Iterum agnosco, detestorque iniquitatem quæ me tot malorum calamitatumque reum constituit. Absit tamen, vt ex illo fonte meus promanet dolor. Volo, Deus meus, volo vt tu vnus mei causa sis doloris. Doleo, non quia peccando miser & miserabilis factus sum; sed ideò maximè quia peccando offendi te Deum ac Redemptorem meum æterno amore & honore dignissimum. Cooperiat ergo confusio faciem meam; stringat dolor, frangat morbus, perimat mors: denique quam voles pœnam exige, dummodò misericordiam tuam non auferas à me. Quia verò tot sceleribus eluendis vnus ego sufficere nequeo, patere, obsecro, vt quod mihi deest de sufficientia satisfactionis, hauriam de vulneribus mei Saluatoris. Bone Iesu,

Quæ-

*Quaerens me, sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.*

Multi versus Psalmi quinquagesimi,
apti erunt ad dolorem eliciendum,
Miserere mei Deus, &c.

Aliter.

O bone IESU, Ô Deus cordis mei!
propter te ipsum qui infinitè bonus es,
amo te super omnia: cur igitur te toties,
tamque graviter offendi? disrum-
pere anima mea ingenti dolore. Pœ-
nitet ah Deus meus, & detestor pec-
cata hæc mea, statuoque me emenda-
re, & satisfacere; idque purè ex amore
quo feror in te super omnia. Parce
mihi Domine, & serua in posterum
per merita tua, & inexhaustam boni-
tatem tuam Ô Deus meus & omnia.
Amen.

Breviùs per modum recollectionis.

O Deus meus, doleo ex animo de
omnibus peccatis meis; idque maximè,
quia Diuinæ tuæ displicent Majestati.

Aliter.

Deus meus ob amorem tui, boni-
tatisque tuæ infinitæ quam amo super
omnia,

omnia, & quia peccatum summoperè
tibi displicet, pœnitet me ex toto cor-
de peccatorum meorum omnium, eo-
rumdemque à te veniam supplex pre-
cor cum proposito confessionis & e-
mendationis.

*Actus Fidei, Spei, &
Charitatis.*

Summe Deus credo & spero in te,
amoque te super omnia, & propter te,
quantum possum; sed & me pariter
pœnitet quod te summum bonum of-
fenderim: denique peto à te veniam
cum proposito confessionis ac emen-
dationis.

Aliter.

Domine Iesu Christe, credo quod
Deus meus & Redemptor meus es.
Credo quod pro salute mea de Virgi-
ne nasci, & in cruce mori dignatus es.
Credo quidquid per Sanctam Catho-
licam Ecclesiam mihi credendū pro-
ponis, & in hac fide protestor me vi-
vere velle & mori, Domine IESU,
doleo quod summam bonitatem tuā
offenderim, & doleo quod non magis
doleam de tot offensis contra te Crea-
torem

torem

torem & Redemptorem meum ingratiſſimè perpetratis; peto humiliter peccata omnia mihi condonari per ſanguinem tuum; firmiter ab eis abſtinere, & vitam emendare propono, ſi vixero. Atque ſi quid oblitus ſim, vel non agnoſcam quo tuam Maieſtatem offendi, de eo illuminari cupio & poenitere, interim de omnibus veniam peto.

Omnibus qui me vnquam offenderunt, libenter & ex animo propter te mi Deus, offenſas omnes dimitto, & ſi quem offendi ego, precor etiam mihi veniam dari.

Si quid alienorùm eſt bonorum apud me, quantum teneor & facultates meæ ſe extendunt, volo ſatisfacere omnibus.

Spero in tua diuina miſericordia, & in ſanguine cum tanta charitate pro me fuſo quod me licet indignum ſaluum facies, & adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, quod vt facias, per ſanc-
tam mortem tuam te precor.

Corroborâ me Domine Ieſu contra omnes Satanæ inſultus, & ſcutum miſe-

misericiendiæ protege me, quoniam in bonitatis tuæ præsidio tota est reposita spes & fiducia mea. Nihil quidem meritorū quod allegem apud te, malorum heu! nimis multum video, sed per tuam misericordiam confido me saluandū. Ita in pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe cōstituiisti me: tibi laus & gloria in sæcula. Amen.

§. SECVNDVS.

Affectus Resignationis.

IN manibus tuis, Domine Iesu, sortes *Ps. 30.*
 mea: Valetudo, inquam, infirmitas, mors & vita. Da mihi facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; Méne vis mori? moriar & lubens moriar, quoniam sic placitum fuit ante te. *Mat.*
 Moriar autem, non quando volam ego, *II.*
 sed quando tu; nō vbi volam ego, sed vbi tu; non sicut ego volam, sed sicut tu. Visne bone Iesu, vt hoc anno moriar? hoc mense? hac die? hac hora? hoc momento? ita fiat si quidem sic placitum sit ante te: an lenta morte, an inopina, maturane an acerba,
 I perinde